

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quintâ mensis Martii, Anno Domini M. DCC. LXIV.

M. MICHAELE-PHILIPPO BOUVART,
Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, Doctore Medico,
Præside.

Utrùm apud nos perperàm obsoleverit Cucurbitularum usus?

I.

QUA sorte, quâ de causâ Neoterici nostrates nihili cucurbitulas faciant, quæ in usum olim cessêre vulgatissimum? Ex omnibus, ne quidem excepto divino Sene, antiquis Authoribus, nullus est qui perenni traditione illas non laudet, non extollat, non commendet. Quin imò nullus fermè noscitur morbus in

cujus curatione ſuus cucurbitulis non adſcribatur locus. Plures etiam, mulierum præſertim, ægritudines ſolo compeſcebantur cucurbitularum beneficio. Sic in uteri hæmorrhagiâ *mammarum* (*) *radicibus* (*a*), in ſuffocatione ab utero *ilibus*, *coxis*, *inguinibus* (*b*), in ſuppreſſione menſium *ſuris*, *coxis*, *lumbis* (*c*), in uteri inflatione ſeu emphyſemate *matricis regioni* (*d*) admotæ cucurbitulæ perfacilè collimabant. Non mirum igitur ſi *ſtrenuum planè auxilium* à *Galeno* (*e*), ſi *celeberrimum remedium* à *Proſpero Alpino* (*f*), ſi *expeditiſſimum præſidii genus* (*g*) à *Fernelio* noſtro fuerint appellatæ. Mirum quidem magis quòd apud nos ab uſu prorsùs diſceſſerint, dùm apud Germanos, aliaſque Boreales gentes cucurbitularum adhuc uſus viget. Undenam autem hæc in praxi medicâ immutatio? An detecta ſanguinis circulatio cucurbitularum inutilitatem Gallis demonſtraverit, dùm alios reliquerit errore circumfuſos? An ratione clymatis, temperamenti, victûs Gallorum abſtinendum ſit cucurbitulis, dùm iis cæteri proficuè indulgent? An alio frueremur inſtrumento cujus ope cucurbitularum effectus jucundiùs admodùm præſtarentur? Ut ut ſit, illius auxilii uſum perperàm obſoleviſſe cenſemus, cujus dotes eximiæ nullâ ratione infirmantur, nulloque alio quovis medio ſuppleri queunt.

(*a*) *Hipp.* Aphor. 50. Sect. V.

(*b*) *Aret.* Cappad. de Curat. Morb. Acutor. Lib. II. Cap. X.

(*c*) *Jac. Sylv.* de Menſib. Mulier. Commentar.

(*d*) *Nicol. Rocheus* de morb. Mulier. Cur. Cap. XIII.

(*e*) *Galen.* de Met. Medend. Lib. VIII.

(*f*) *Proſp. Alp.* de Medic. Ægyp. Lib. II. Cap. XIV.

(*g*) *Fernel.* de Medend. rat. Lib. II. Cap. XIX.

I I.

CUCURBITULA vel *Cucurbita*, quibuſdam *Ventoſa*, Græcis Σικύα, inter inſtrumenta Chirurgica referenda eſt. Ejus forma & materies neminem fugiunt. Nec magis deſideratur methodus quâ in uſu ſit tractanda. Quis neſcit in cucurbitulæ cavum immittendam eſſe candelam accenſam aut linamentum ardens, rarefactoque ſic per calorem aëre, os iſtius cucurbitulæ corpori imprimendum, donec cuti tumefactæ fortiter inhæreat?

(*) Duo hic notanda veniunt, 1°. Quòd in omnium *Hippocratis* operum Editione *in fol.* Francofurti 1595, *Anutio Foëſio* curante, legatur Aphor. 50. Sect. V. *ad nares*, & in aliis omnibus editionibus, *ad mammas*, vel *mammarum radicibus*. 2°. Quòd *Paulus Ægineta*, de re Medicâ, Lib. VI. Cap. XLI. præcisè moneat *cavendum eſſe ne propè mammas cucurbitam adhibeamus. Illabentes enim in ipſas, & quandoque indè intumeſcentes mammæ, faciunt ut valdè difficulter illæ avelli poſſint: & tunc ſpongiis ex aquâ calidâ cucurbitas circumdare oportet: ità enim remittunt. Si verò neque ſic remiſerint laxatæ, jam perforare ipſas oportet.* Eadem notat *Oribaſius* ſynopſ. Lib. I. Cap. XIII. & Medicinal. Collector. Lib. VII. Cap. XVI. quæ pariter obſervantur ab *Aëtio*, Medecin. Contract. Tetrabibl. I. Serm. III. Cap. XX. & ab *Avicennâ*, Lib. I. Fen. IV. Cap. XXI. *Galenus verò in Comment. ad Aphor.* 50. Lib. V. *non mammis aptandas eſſe dicit cucurbitulas, ſed ei parti quæ mammis proximè ſubjacet; quo loco excurrunt venæ, quæ ab utero ſeſe ſurſùm ad mammas efferunt, deſcendunt verò mammares.* Vid. *Martin. Akak.* Medic. Reg. de Morb. Muliebr. Lib. I. Cap. II. Vid. etiam *Mauric. Cordæi* in Hipp. Lib. I. de Muliebr. Comment. VI.

Omnibus etiam notissima est duplex cucurbitularum denominatio, quâ scilicet *cruentæ*, si scarificationibus incidatur cutis, secùs verò *siccæ* dicuntur. Generatim spectata *cucurbitula potest evacuare materiam, dolorem solvere, minuere phlegmonem, inflationem discutere, revocare appetentiam, ventriculo infirmo robur recuperare, animi liberare deliquio, ab alto fluxiones transferre resiccareque, sanguinis eruptiones cohibere, facultates mensium corruptrices extrahere, ac denique menses ipsos levare* (*h*). Iis à *Galeno* recensitis addit *Herodotus* apud *Oribasium*, cucurbitularum usum *rigores sedare, circuitus solvere, à propensione in somnum excitare, somnum conciliare, gravitates levare, atque hæc quidem, quæque his similia sunt præstare posse* (*i*). Posthabeatur verò cucurbitula quæ per foramen, ore tantùm attractâ respiratione, Ægyptiorum more (*k*), cuti affigeretur. Tales cucurbitulæ *minus quidem evacuant, nihil autem resiccant, quemadmodum quæ cum flammâ adhibentur* (*l*). Eæ posteriores, ignis beneficio, *vim habent vacuandi, revellendi & derivandi. Vacuantur humores fixi : derivantur & revelluntur fluentes* (*m*). Varius est effectus cucurbitularum, pro variâ formâ & amplitudine. Circulus enim cucurbitæ si parvus sit, ipsaque minimè ventricosa sed oblonga, *in directum trahit, & procul distantes serosos humores ad carnem probè revellit* (*n*). *Aliquæ longiore collo & ampliore ventre fiunt, ut magis quàm aliæ trahant* (*o*). Demum *altiores magis quàm humiliores trahunt* (*p*). Nec minùs quoàd proprietates inter se differunt siccæ & cruentæ cucurbitulæ. In calefacientium causis ab *Avicennâ* annumeratur *ventosarum absque scarificatione positio* (*q*). *Ponimus autem*, inquit ille, *ventosas sine scarificatione in eo in quo intendimus solùm evulsionem & diversionem materiæ* (*r*). Similiter à *Galeno*, *citrà ullam scarificationem cucurbitulæ adhibitæ solius excitandi caloris gratiâ utiles esse censentur* (*s*). *Quæ cùm scarificatione est, infrigidat propter evacuationem* (*t*), si *Avicennæ* credendum. Potiorem verò cruentæ cucurbitulæ à siccâ differentiam nos docet *Paulus Ægineta. Quæ cùm scarificationibus affigitur, efficaciorem transpirationem causis præbet, ea quæ affligunt ex profundo, ità ut sensu percipiamus, educens præsertim si cùm largiore flammâ adhibeatur* (*u*). Ex illo triplici cucurbitularum conspectu facilè colligitur quantos in usus abire possint. Neque ulla debet esse dubitatio de illarum viribus, quas extollunt Authores optimi, cæteri confirmant. Plurimis etiam, ut *Actuario*, *ex iis quæ celerrimam opem adferunt, cucurbitulæ quoque esse videntur* (*x*). Quî fit igitur ut cucurbitulis abstineamus? Nonne eosdem ac olim

(*h*) *Galen.* de Hirud. Rev. Cucurb. & Scarif.

(*i*) *Oribas.* Medic. Coll. Lib. VII. Cap. XVII.

(*k*) Vid. *Prosp. Alp.* de Med. Ægypt. Lib. II. Cap. XIII.

(*l*) *Paul. Ægin.* de re Med. L. VI. C. XLI.

(*m*) *Duret.* in suam Enarrat. Annotat. ad Cap I. Lib. I. *Holler.* de Morb. intern.

(*n*) *Hipp.* de Medico.

(*o*) *Paul. Ægin.* de re Medicâ, Lib. VI. Cap. XLI.

(*p*) *Oribas.* Medic. Coll. L. VII.C.XVI.

(*q*) *Avicenn.* Lib. I. Fen. II. Doctr.II C. I.

(*r*) *Avicenn.* Canticor. pars IV. Vid. etiam Lib. I. Fen.IV. Cap. XIX. Et *Actuar.* Med. sive de Meth. Medend. Lib. III. Cap. IV.

(*s*) *Galen.* de Locis affectis, Lib. III. C. II.

(*t*) *Avicenn.* Lib. I. Fen. II. Doct. II. C. I. Vid. etiam L. I. Fen. IV. C. XXI.

(*u*) *Paul. Æginet.* de re Medic. L. VI. Cap. XLI.

(*x*) *Actuar.*

Med. sive de M. t. Medend. L. III. C. IV.

hodiè præstarent effectus? nonne eodem luto fabrefacti antiquorum obruimur malis? nonne iisdem armis debellanda? hæc unica contrariæ agendi rationis excusatio foret, si eadem cucurbitularum commoda potiori, faciliorique medio nanciscerem.

III.

PROPRIETATES cucurbitularum si alia quædam media possent assequi, maximè venæ sectio & vesicantia. At non idem est de Chirurgicis ac de internis medicaminibus, quorum alterum alterius ejusdem classis viciſſim partes agere vulgatissimum est. Nec venæ sectio, nec vesicantia cucurbitulis succenturiantur. In eo etenim consentiunt quot quot sunt Authores celeberrimi, quòd *cucurbitularum usus neque in principiis morborum adhibetur, neque quùm succi omnes æquabiliter exuperant in corpore. Sed quùm anteà evacuatum totum corpus fuerit, neque quicquam ad partem præterea fluat, opusque sit movere, excutere, & ad partes extimas trahere*, ut *Oribasii* verbis utar (*y*). Ab *Antyllo* apud *Aëtium* hujusce præviæ evacuationis necessitas firmioribus adhuc rationibus comprobatur (*z*), quæ necessitas non minùs cruentas respicit quàm siccas cucurbitulas, si *Galeno* fides sit (*aa*). Eadem nobis præcipit *Duretus* Medicorum (ut *Heurnius Durcti* discipulus dicere solebat) post *Galenum* primus, cucurbitulasque affigi vult, *priùs detracto sanguine per phlebotomiam universalem & particularem, ineunte morbo* (*bb*). Insuper *vulgò creditur venæ sectionem trahere à circumferentiâ ad centrum Vulgaris autem opinio est quòd cucurbitulæ à centro venarum ad circumferentiam trahant* (*cc*). Majorem verò rationem ex *Fernelio* nostro speciatim decerpere amamus. Suadet enim cucurbitulam *quùm præsertim ex venâ sanguinem mitti revellique imbecillæ vires minimè sinunt Neque corpus ullâ qualitate labefactat, neque vires infringit* (*dd*). Exemplum nobis præbet *Aretæus* in curatione *Syncopæ. Sè missionem sanguinis faculitas non sustinet inflammationesque infestant, cucurbitula tunc multò antè morbi judicationem ei admovendæ est* (*ee*). Eadem de cucurbitulis meminit *Celsus*, juxtà cujus sententiam, *id auxilium ut minùs vehemens* (venæ sectione) *ità magis tutum, neque umquàm periculosum est* (*ff*). Nonne *Celsi* sententiæ accedens *Joannes Freindus*, ideò in variolis sanguinis detractionem commendat *maximè quidem si cucurbitulis fiat* (*gg*)? Nec minoris momenti sunt argumenta quibus cucurbitulas vesicantibus suppleri non posse probatur. De iis tantùm modo sermonem instituimus, quæ can-

(*y*) *Oribas.* Synops. L. I. Cap. XIII.

(*z*) *Aët.* Med. Contract. Tetrab. I. Serm. III. Cap. XX.

(*aa*) *Galen.* in Lib. de Cucurbitul. Vid. etiam Lib. de Curand. rat. per sanguin. miss. C. XIX.

(*bb*) *Duret.* Enarrat. in Cap. I. Lib. I. *Holler.* de Morb. intern.

(*cc*) *Prosp. Alp.* de Med. Ægypt. Lib. II. Cap. XV.

(*dd*) *Fernel.* de Medend. rat. L. II. C. XIX.

(*ee*) *Aret.* de Curat. Morb. Acut. Lib. II. Cap. III.

(*ff*) *Cels.* Medic Lib. II. Cap. XI.

(*gg*) De Purg. in secund. Variolar. consi. Febr. Hist. IV.

tharides recipiunt, quippe valentiſſima maximèque efficacia ſunt. *Quicquid uſpiam à veſicantibus venit auxilii, ab unâ ſeri evacuatione derivare ſatis* habetur (*hh*). Cucurbitulæ verò ſanguinem ipſum evacuant, plethoræque partis protinùs auxiliantur. Humoribus ſtimulum admovent veſicantia; dolores, perſæpè convulſiones, Iſchuriam, Dyſuriam quandòque procreant; inflammationem & ſuppurationem cient; nec poſt octavam, decimam vel duodecimam horam & ultrà partes ſuas peragunt. At cucurbitularum auxilium, *minimè periculoſum*, expeditum magis & ferè ſubitaneum, nihil humoribus addit, nec ulla poſt ſe trahit incommoda ægris adeò faſtidioſa. Præcipua eſt veſicantium agendi ratio, revulſio ſcilicet. Cucurbitulæ verò ſanguinem à parte revellunt, atque ad ipſam, ſi ſit opus, attrahunt (*ii*). Prætereà nonne ſtabilitur & confirmatur veſicantium cucurbitularumque proprietatum diverſitas, ex eo quòd licet eodem profligando deſtinata morbo, nunquàm iiſdem ſuperandis ſymptomatis, nec eodem morbi ſtadio adhibita fuêre? Plura porrò præſtò ſunt apud *Freindum* hujuſmodi exempla (*kk*), ex quibus conjicere licet, in cucurbitularum locum veſicantia, non magis quàm venæ ſectionem ſuffici poſſe.

(*hh*) *Johann. Freind.* deFeb. Comment.IX.

(*ii*) Vid. *Gal.* de Met. Medend. L. XIII. *Fern.* de Medend. rat. Lib. II. Cap. XIX. Et *Duret.* in ſuam Ennarr. Annotat. ad Cap. I. Lib. I. *Holler.* de Morb. intern.

(*kk*) De Purg. in ſec. Variol. Conſl. Febr. Hiſt. I. II. IV. IX. & X.

I V.

UT quæſtionis nodus faciliori de negotio ſolvatur, evidentiùſque conſtet quanti valeant cucurbitulæ, & quantùm à venæ ſectione, veſicantibuſque differant, quoſdam caſus exponere juvat in quibus venæ ſectioni veſicantibuſve nullus erat locus; cucurbitulas verò admovebant antiquiores Medici. *Hippocrates* de abortu præcavendo loquens in muliere quæ fœtus *bimeſtres perdit eo exacto tempore, neque priùs, neque poſteriùs, idque bis aut ter illi contigit; quin etiam ſi trimeſtres aut quadrimeſtres, aut etiam majores fœtus ad eumdem iſtum modum perdat;* illud pendere cenſet ex eo quòd *uteri in majorem amplitudinem non ampliùs increſcunt & non ampliùs capiendo fœtui eſſe poſſunt.* Quapropter *huic cucurbitula ad uterum apponenda, quâ ſummotâ eum per hujuſmodi ſubditicia medicamenta quàm maximè inflare oportet* (*ll*). In narium hæmorrhagiâ, *ubi ſanguis miſſione uſus fueris, vel artuum frictione devinctioneque* (*mm*), in flatuoſis doloribus, *in quâcumque corporis parte dolor ſit excitatus* (*nn*), in diſcutiendis viſcerum abdominalium inflationibus (*oo*), ſedandoque colico dolore à flatibus orto (*pp*), cucurbitas cum multâ flammâ abſque cutis ſcarificatione ſuadet *Galenus. Ventoſæ poſitæ ſuper ventrem eorum,*

(*ll*) *Hippoc.* de Superfœtat.

(*mm*) *Galen.* De Method. Medend. Lib. V. *Vid.* etiam *Scrib. larg.* de compoſ. Med. Cap. VII. nº. 46.

(*nn*) *Galen.* de Met. Medend. Lib. XIII.

(*oo*) *Id.* Lib. XIV. *Vid. Actuar.* Med. ſive de Meth. Medend. Lib. III. Cap. IV.

(*pp*) *Galen.* De Art. Curat. ad Glauc. Lib. II.

qui habent fluxum ventris, & excoriationem cum dimittuntur quatuor hôris, ut adſtringentes laudantur ab *Avicennâ* (*qq*). In inflammatione *Columellæ* cujus craſſities, longitudoque celerrimam ſtrangulatûs perniciem portendit, irritis venæ ſectionibus, *cucurbitulam occipitio atque pectori agglutinari* (*rr*), præmiſſiſque in pleuritide præmittendis, poſt ſeptimum diem, cucurbitam magnam cum multâ flammâ, lateri dolenti affigi vult *Aretæus* (*ſſ*). Prægreſſis etiam venæ ſectionibus, in volvuli curatione cucurbitulas *leves quidem, ſed frequentes alias juxtà alias, abdomini & ilibus ad inguina uſque quin & à tergo coxendicibus ad renes uſque & dorſum* admovet (*tt*). In melancholiâ cucurbitulam jecori maturè apponit idem *Aretæus* (*uu*), & cùm illo *Hollerius* noſter cucurbitulam, ſedatis jam doloribus, calculos inſiſtentes ſolvendi causâ, renibus primùm, deindè perinæo & inguinibus affigendam curabat (*xx*). *In occipite etiam & collo cum ſcarificatione cucurbitulas adminiſtrant* Ægyptii *ad gutturis inflammationes; quaſi conentur cucurbitularum factâ attractione, naturæ motum ad exteras illas partes imitari* (*yy*). In vulvæ repoſitionem cucurbitulis umbilico appoſitis utebantur *Duretus* (*zz*) & *Ballonius* (*aaa*). Nonne ad aliarum herniarum taxin ſimili ratione conducerent? In uteri ſchirro & ſcleromate cucurbitulas uſurpat *Nicolaus Rocheus* (*bbb*). In affectibus demùm qui *ex puerperio diminuto vel ſuppreſſo* proficiſcuntur, ſi citiùs & majorem prærequirant diligentiam poſt venæ ſectiones cucurbitas in ſuris & femoribus affixas & ſcarificatas commendat *Ludovicus Mercatus* (*ccc*). Longè plura ſunt adhuc apud Authores exempla quibus cucurbitularum vires magis ac magis extolli poſſent. Iſta verò, pauciſſima licet, quàm neceſſario, quàm multiplici cucurbitulæ uſui ſint, ſatis ſuperque demonſtrant. Nonne tumoribus v. g lentius ad ſuppurationem abeuntibus, nonne bubonibus præſertim malignis & peſtilentialibus (*) fauſtiſſimè quoque admotæ fuêre? Prætereà nec venæ ſectionis

(*qq*) *Avicenn.* L. I. Fen. XVI. Tract. I. Cap. IV.

(*rr*) *Aret.* de Curat. Morb. Acut. Lib. I. Cap. VIII.

(*ſſ*) *Id.* Cap. X.

(*tt*) *Id.* Lib. II. Cap. V.

(*uu*) *Id.* de Curat. Morb. Diuturn. Lib. I. Cap. V.

(*xx*) *Holler.* de Morb. int. Lib. I. Cap. XLVIII.

(*yy*) *Proſp. Alp.* de Med. Ægypt. L. II. C. XIV. hùc refer. *Hipp.* Aph. 37. Sect. VI. & Aphor. 49. Sect. VII.

(*zz*) *Duret.* Enarr. in Cap. LVII. Lib. I. *Holler.* de Morb. intern.

(*aaa*) *Ballon.* de Virg. & Mulier. Morb. Cap. XI.

(*bbb*) *Nicol. Roch.* de Mor. Mulier. Cur. Cap. XIV.

(*ccc*) *Lud. Mercat.* de Mulier. affectionib. Lib. IV. Cap. XI.

(*) Exemplum digniſſimum habeo, quod maximè faciet ad illuſtrandam hanc veritatem. *Georgius Selaccus*, Chirurgiam Venetiis exercens, in eâ peſtilentiâ (graſſante anno 1590) uxore ejus peſte correptâ cum tumore in inguine, narrat, ſe cùm vidiſſet tumorem illum inſignem, quàm facilè ſæpiſſimè imminutum & evaneſcentem, vel imminui, atque intùs recurrere, quòd continuò mulier delira evadebat, quò ſtatim cucurbitula ſæpè inguini cum igne appoſita, iterùm ad ſolitam magnitudinem tumore illo revocato, atque peraucto, ſtatim ſanâ mente reddebatur, ſæpiſſimèque dùm ipſa ægrotaret hoc obſervavit, coactuſque idcircò fuit ſæpiſſimè cucurbitulis diminutum ac ferè evaneſcentem tumorem foras trahere, quod ſanè ſemper ſuccedebat. Quo facto ſemper ejus uxor ad ſanam mentem redibat, atque ubi rurſum aliquo pacto bubo minueretur, delirium ipſam rurſum invadebat. Teſtaturque mulierem, quo tempore ab appoſitâ tumori cucurbitulâ affligebatur, ſemper mente ſanam extitiſſe, quâ ſubitò excidebat, tumore intùs recurrente, ſanaque rurſùm eo cucurbitulâ foras attracto. *Proſp. Alp.* de Medic. Ægypt. Lib. II. Cap. XVI.

pericula, nec veſicantium tarditatem & dolores ſecum trahunt, ſed propriis dotibus refertæ & locupletes, ubique tutiſſimo modo, innocuè prorsùs, ociſſimèque operam moliuntur. Rursùm igitur liceat exclamare, quonam præpoſtero fato cucurbitulæ à priſtinâ gratiâ apud nos deſciverint?

V.

RECENSITIS cucurbitularum proprietatibus & differentiis, inſtitutâ cum venæ ſectione & veſicantibus ipſarum comparatione, confirmatiſque exemplorum fide earumdem commodis, requiſitæ ad uſum cautelæ ab eodem quaſi fonte manant, cunctiſque oculis protinùs occurrunt. Inutile prorsùs igitur eſſet iterùm monere quòd *utendum cucurbitâ in ipsâ parte quæ phlegmone urgetur, inter initia non eſt, ſed poſteà quàm univerſum corpus vacuaveris, atque ex uſu jam eſſe videatur, eorum quæ in inflammatâ particulâ continentur, aliquid aut vacuare, aut versùs exteriora revellere* (*ddd*). Ut verò de cucurbitulis nihil omittatur, illud duntaxat addendum cenſemus *Avicennæ* præceptum. *Oportet ut ventoſatus poſt unam horam cibetur, ventoſatur in ſecundo anno & poſt ſexaginta annos non fiat omninò ventoſatio* (*eee*). Meritò tamen dubitatur, utrùm in verba magiſtri authoritatem ſibi conciliet hæc ultima propoſitio. Cùm enim ſanguinis miſſio in ætate etiam provectiori fauſtè nonnunquam inſtituatur, quantò magis cucurbitulæ *poſt ſexaginta annos* affigi poſſunt. Quin imò ſi ſenum vires exhauriantur, & venæ ſectionem ægrè ferant, ſi inflammatorio quovis morbo, ſi apoplexiâ, lethargo, phrenitide, nephriticis ſenes corripiantur cruciatibus, nonne ad cucurbitulas tanquam ad ſacram anchoram confugiendum foret? Nùm in eo incertus quiſquam hæreret, niſi fortaſſè quorumdam criminationi crederet, quâ contendunt cucurbitularum ope ſanguinem tenuiorem tantùm eliminari, dùm craſſior vaſorum parietibus hærens conjicitur, undè obſtructiones natales ducunt? At prævias evacuationes ideò unâ voce exigunt Authores optimi, ut ab illo, ſi quod fortè ſit, malo declinetur. Prætereà ſuppoſitâ obſtructione & cutis denſitate à ſolo cucurbitularum uſu productâ, quid contrà nos, cùm à parte nobiliori ad ignobiliorem, ab interioribus ad exteriora detrahendum urgentius ſit & reverà cucurbitulis detrahatur? Verùm enim verò nec objectiones, nec incommoda, nec effectus præpoſteri, nec ratio tandem apud nos cucurbitulas delevêre, ſed potiùs ineluctabiles illæ temporum viciſſitudines, quibus cuncta rapiuntur in circulum. Aſt eâdem ratione

(*ddd*) *Galen.* de Met. Med. Lib. XIII.

(*eee*) *Avic.* L. I. Fen. IV. Cap. XXI.

ſpes nobis adhuc affulget, in vulgarem uſum rursùs ceſſuras fore cucurbitulas; & ut inquit Poëta :

Multa renaſcentur quæ jam cecidêre ; cadentque
Quæ nunc ſunt in honore.

Utinam verò de cucurbitulis in poſterùm non ſit ac hodiè de veſicantibus, quæ jure vel injuriâ, bonis vel malis ægri rebus, in quovis morbo uſurpantur. Quidam etiam nihil omninò in ægrotantium ſalutem egiſſe arbitrantur, niſi quâlibet datâ occaſione, nullâ habitâ ratione temperamenti, ſexûs, ætatis, morbi indolis & ſtadii, veſicantibus membra obvolvant :

Dùm vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

Sit autem cucurbitularum uſus æquabilis, prudens, indicationibus ſemper & unicè reſpondens. Earum amplitudo, forma, qualitas, numerus, locus, ætati, ſexui, ſymptomati, occaſioni callidè accommodentur, tuncque fructus producent quàm uberrimos. Ex quo magis magiſque conſtabit quàm rectè concludimus.

Ergò apud nos perperàm obſolevit Cucurbitularum uſus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Henricus-Michael Missa, *Militarium Noſocomiorum ad Regis exercitum Medicus.*

M. Petrus - Abrahamus Pajon de Moncets, *Eques, Societatis Litterariæ Catalaunenſis Socius.*

M. Ludovicus - Hieronymus Cosnier.

M. Joannes - Nicolaus Millin de la Courveault, *Scholarum Profeſſor deſignatus.*

M. Claudius-Thomas-Guillelmus Guilbert de Préval.

M. Nicolaus Le Roy de Saint-Aignan.

M. Henricus - Jacobus Macquart, *Cenſor Regius.*

M. Jacobus Gourlez de la Motte.

M. David Vasse, *Bibliothecæ Facultatis Præfectus deſignatus.*

Proponebat Pariſiis JOSEPHUS PHILIP, Intervallæus-Glandatenſis, Doctor Medicus Remenſis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Author. A. R. S. H. 1764.
A Sexta ad Meridiem.

Typis Viduæ Quillau, Univerſitatis & Facult. Medic. Typographi, 1764.